

Christian Nettelblatt von Siegfried Cäso Aeminga von

Programma, Qvo ... Ad Inauguralem Dissertationem De Ecclesia Sangvinem Non Sitiente A ... Domino Siegfried Coeso Aeminga Mollena-Megapolitano Ad Diem XVIII. Aprilis A. O. R. MDCCXLI ... Invitat, Insimulqve de Influxu doctrinae: Ecclesia non sitit sanguinem, In Jure publ. Imp. Rom. German.

Gryphiswaldiae: Literis Struckianae, 1741

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn743870646>


Druck Freier  Zugang



Nettelblatt, C.,
in S. C. Aeminga. *1a*

Gryph. 1741.

2



PROGRAMMA,

QVO

MAGNIFICUM DOMINUM ACADEMIÆ RECTOREM,
GENEROS. REGII DICASTERII DIRECTOREM, UTRIUSQUE
CORPORIS SENATUM, SUIS MERITIS ATQVE PRÆEminentIIS VENERA-
BILEM, URBIS INQUE EA ECCLESIArum PATRES, OMNES JURISPRUD.
ET BONARUM ARTIUM FAUTORES, NEC NON ILLUSTR. GENEROS.
AC NOBILISSIMOS ACADEMIÆ CIVES,

AD

INAUGURALEM DISSERTATIONEM

DE

ECCLESIA SANGVINEM NON SITIENTE

A

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

SIEGFRIED COESO AEMINGA

MOLLENA - MEGAPOLITANO

J. U. CANDIDATO DIGNISSIMO LAUDATISSIMO.

*Pro Juribus in utroque jure summis, privilegiis
ac honoribus Doctoralibus
RITE OBTINENDIS,*

AD DIEM XVIII. APRILIS A. O. R. MDCCXLI.

IN AUDITORIO MAJORI HABENDAM,

CULTU OMNI, STUDIO ET AFFECTU INVITAT,

INSIMULQUE

*de Influxu doctrine: Ecclesia non sitit sanguinem, in Jure
publ. Imp. Rom. German.*

DISSERT

SENIOR ET AD HUNC ACTUM PRO-DECANUS FACULT. JURID.

CHRISTIANUS NETTELBLADT

A. J. C. D. RELIQUA.

GRYPHISWALDIÆ LITERIS STRUCKIANÆ.

32

PROCESSION

MAINTAINING THE ORDER OF THE
CHURCH AND THE STATE
FOR THE BENEFIT OF THE
PEOPLE AND THE GLORY OF
GOD

IN THE CITY OF

ROSTOCK

BY THE

SENATE

AND THE

CITY COUNCIL

OF

ROSTOCK

FOR THE

REASON

OF

THE

SENATE

AND THE CITY COUNCIL



ontificii, quod vocant, juris dogmata in ipsam imperii nostri Romano Germanici formam penetrare, eamque aliquando formare, juraque statibus Imperii publica dare, nullus, qui singula status publici momenta accuratiori scrutatus est lance, inficiabitur unquam. Veritatem hujus asserti non modo satis evictam reddiderunt varia à b. SPENERO (1) adducta exempla, sed & præfens, quod Dn. Candidatus in sua Inaug. Dissertat. sibi fusius explicandum sumsit juris pontificii axioma, aliis exemplis id clarius adhuc & evidentius comprobare valet. Illud etenim non intra Juris tam Civilis, quam Canonici, ut & feudalis limites subsistit, sed longius adhuc, extra suam sphaeram, ad varia publici juris capita progreditur, jura statibus Imperii præscribit, litesque ipsorum determinat.

§. 2. Exemplum hujus rei perhibet a Dd. Juris publ. ventilata quæstio: *Utrum status Ecclesiastici Imperii Romano Germanici, Archi-Episcopus scil. Episcopus vel Abbas ad summum militia Imperialis præfetti munus adspirare illudve suscipere possit nec ne?* Sub Examen jam vocavit hanc quæstionem ineunte hoc seculo Jctus apud Tubingenses famigeratissimus, *Jacobus David MOEGLINGIUS* (2) eamque in gratiam principum Ecclesiast. determinare

A 2

- (1) *Im Teuttschen Jure publico T. I. Lib. I. Cap. XII. § 7. pag. 381. seq. & in not. d.*
(2) *De Summo Militia Imperialis præfetto V. von des Heyl. Röm. Reichs Feld-Herren. Cap. 2. §. 24. pag. 59.*

nare maluit. Argumenta quibus affirmativam suam superstruxit sententiam, sunt partim qualitas principis secularis, quæ fere in Ecclesiasticis præponderat; partim quædam constitutio ratione belli Hostilici, hujus tenoris; Item würden die 3 Erzbischöffe von Maynz, Cöln und Trier jeglicher selber kommen, so soll der Erzbischoff von Cöln ein Hauptmann seyn, oder ob der nicht queme, der Erzbischoff von Trier, würde auch in keiner kommen, so soll das seyn der Erzbischoff von Maynz, und bleiben, ob Er allda käme; & denique dispositio der Erklärung des Landt-Friedens de ao. 1552, quam ad summum Militiæ Imperialis præfectum nullibi porrectam esse, asserit.

§. 3. Subscriberem utique huic sententiæ, pro mea parte, quam libentissime, nisi, quanta sit dogmatum Canonici Juris in statu nostro publico vis atque auctoritas, omnibus in propatulo esset. Lærgior hinc omnino, quod principes statusque Ecclesiastici, ut status & membra Imperii, nullo modo à dignitate Summi Militiæ Imperialis Præfecti arceri possint; obstitit tamen, quo minus hanc provinciam suscipere queant, canones & decreta Pontificum, quorum rigor Episcopum armæ tractare, (3) procedere in aciem (4), curamque castrorum

(3) Textus Juris Canonici & feudalis huc pertinentes longa serie adduxit HORNIUS de *libertate German. exteris militandi ib. 21. pag. 23.* conf. PARAVICINI *Polyantica Sacror. Canon. sub voce Clericus Tit. 22. num. 1. pag. m. 316. §. 317.*

(4) Hinc BARONIUS ad ann. 888. inæneue scribit. Quod deterius videri potuit & plane monstrosum, illud fuit, quod tam Episcopi, quam Abbates armari ad bella procederent. in hostes eruerent, cæderent ipsos & cæderentur ab ipsis. Et eo deterius, quod iidem etiam ab ejus temporis Scriptoribus nomine bellicæ fortitudinis laudati reperiantur. Quæ vero ratio Clericorum, jam tempore Carolingorum, in bello fuerit, patet ex *Capitul. Franc. Lib. 7. cap. 10.* ubi verba ita fluunt: Volumus, ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres Episcopi, electione ceterorum, propter benedictionem & prædicationem, populique reconciliationem & cum illis selecti sacerdotes, qui bene sciunt populis prænitentias dare, missas celebrare &c. Hi vero, nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, ne effusores sanguinum vel agitatores fiant, sed tantum sanctorum pignora & sacra ministeria ferant & orationibus pro viribus insistant &c.

rum potius, quam animarum suscipere (5) vetat, & pro fundamento ac causa hujus prohibitionis habet dogma supra allegatum: *Ecclesia non fuit sanguinem*. Et dum canones atque decreta in genere de Episcopis loquuntur, nec ego Status Ecclesiasticos, similis vel inferioris dignitatis, ab hac lege (6) eximere audeo. Sola itaque auctoritas atque potestas canonici Juris, quod nostrum inculcat axioma, impedit, quo minus Ecclesiastici eodem cum secularibus jure, intuitu hujus publici muneris, gaudere possint. Uti enim status Ecclesiastici, quis ad canones adstricti, in variis publici juris capitibus, præsertim quæ exercitium jurium superioritatis Territorialis spectant, restrictiori quandoque præ Secularibus utuntur jure; ita quoque idem ratione hujus controversiæ fateri, necesse habeo.

§. 4. Objici quidem posset, Cardinales, Episcopos & similes personas, ratione castrorum & jurisdictionis temporalis, belli duces agere (7) posse; quosdam status Ecclesiasticos adhuc hodie exercitum & militem perpetuam suis sumptibus alere; copiis auxiliatricibus subvenire sociis suis aut confœderatis; jus belli bacisque habere & quæ similia sunt. Verum ad primum respondeo, partim, quod heic non de facto, sed de jure sermo sit; partim, hoc factum esse ex speciali (8) sedis Romanæ dispensatione contra *infideles*, adeoque vel

- (5) Male juxta SCHROEDERUM *de Jure belli th. 4. lit. 6.* sonat psalterium cum bombardis, & gladius Nimrodi litu usque una, altera vero manu pedum pastorale & baculus Aaronis vix commode regi potest: quæ enim societas Christo cum Herode aut Paulo cum Agrippa? querit WICELIUS *de Via Reg. Conf. MOEGLINGIUS c. 1. §. 24.*
- (6) Recte defendit HORNIUS in *Diff. de Germ. libertate exteris militandi, th. 27.* Ecclesiasticis non tantum Episcopis, sed illis etiam, qui principes Episcopi sunt, & duplicem personam gerunt, motus & conflictus bellicos minus convenire.
- (7) vid. ARRIAS *de Bello & ejus Instir. cap. I n. 6. d. 154.* & SCHIARA *Theolog. Bellic. Lib. II. Diff. 2. 3. & 4. conf. FELTMAN Resp. Militar. VI. num. 39.*
- (8) Præsupponunt omnes si eialem Pontificis Romani dispensationem, uti videre est apud Scriptores not anteced allegatos. Eo ipso vero militiam in genere Episcopis prohibitam esse fatentur.

vel ad facta illicita, vel ad exceptiones, non ad regulam pertinere: ad reliqua vero, hæc omnia non tam offensionem, quam propriam, legitimam & necessariam defensionem, quæ neque Clericis, salvâ regularitate denegenda, respicere. Hac itaque sub specie supra memorata palliari posse, reputo. Singula fufius resolvere non fert præsentis instituti ratio.

§. 5. Quod vero alterum MOEGLINGII ex constitutione quadam, occasione belli Hussitici concepta, desumptum argumentum spectat, pertinet illud non tamen ad regulam, quam potius ad exceptiones, & respicit casum necessariæ & legitimæ defensionis, uti credebatur, pro Religione, quo in casu multa a pontificiis pro licitis habentur. Exinde ergo non valet conclusio ad id, quod juxta regulam fieri debet. Ultimum autem MOEGLINGII argumentum sapit lejugisimum, ubi sola verba vel lex, non attenda legis ratione, respicitur, & magis destruit, quam corroborat ejus sententiam. Si enim personæ Ecclesiasticæ ad munus Ducis Circuli, de quo mox plura proferenda sunt, adspirare nequeunt, quod minus est, quomodo quæso illos ad majora munera militaria in Imperio admittere valet MOEGLINGIUS. Et certe, si sententia MÖGLINGII firmo staret talo, injurii mihi viderentur seculares in Ecclesiasticos, dum hos à Ducis Circuli munere arcent atque excludunt. Neigitur irreconciliabilis legum Imperii oriatur antinomia, tutior omnino erit sententia, quæ principes Ecclesiasticos ad militaria officia in genere non admittit, & generalem canonum & decretorum prohibitionem sequitur. Præprimis deficiente lege quadam speciali, qua tueri suam sententiam valet MOEGLINGIUS. Interim utrumne Ordinis Teutonici Magister V. Deutschmeister vel Melitensium Equitum per Germaniam Magister, quorum prior inter Episcopos, posterior inter Abbates in Comitibus apparet, hoc officium Summi Militiæ imperialis præfecti gerere possit, aliis disquirendum relinquo.

§. 6. Alterum exemplum, quo thesis nostra §. 1. adducta probari potest, occurrit in satis illustri inter status circuli

hi Franconici ao. 1555. (9) agitata controversia, *utrum scilicet persona Ecclesiastica in ducem Circuli eligi, eique hoc militare officium conferri possit nec ne.* Ansam huic controversiæ præbuit electio Episcopi vel Bambergensis, vel Würceburgensis (10) in ducem circuli Franconici, à nonnullis circuli membris, memorato anfacta. Opposuerunt se statuum Secularium quam plurimi, Marchionem Brandenburg. (11) sibi ducem constituentes. Obtinuit tandem hæc electio in conventu d. 29. Jan. 1556. Rotenburgi celebrato, data hac a legato Episcopi Würceburgens. declaratione: *Dieweil man gleichwohl in Erkündigung finde, daß fast alle Creyße den vornehmsten Stand aus den weltl. Fürsten zu einem Creyß Obristen erwehlet hätten, so solten ihm anstatt seines gnädigen Fürsten v. Herrn nicht zu wiedern seyn, daß Herr Marg Graff Otto Friedrich zu Brandenburg Fürstl. Cn. zu einem Obristen erwehlet würde.* (†)

§. 7. Status quidem Ecclesiastici pro tuenda sua intentione adduxerunt, non *Herbipol. & Campidolam* solam hodie iudicare ense & stola, sed sorores habere ejusdem auctoritatis quam plurimas, & cùm politicam simul repræsentent personam, hinc, uti non reliqua jura, ita quoque nec hoc membri politici in circulo competens jus ac beneficium ipsis posse denegari. Addiderunt porro ipsum *Recess. de an. 1555.* vi cuius persona Ecclesiastica non excluditur ab officio Consiliarii Capitanei s. Ducis in Circulo, hincque, quod etiam ad ipsum

(9) Alii hanc controversiam referunt ad annum 1551, ut Dn. MASCOVIUS in *princip. juris publ. lib. 2. cap. 6. §. 21. pag. m. 99.* & STRUVIUS in *Corp. juris publ. Cap. V. §. 20. not. 78. pag. 117.* Rectius tamen ex mente *Limnai,* ad quem omnes provocant, retulit hanc litem ad annum 1555. VITRIARIUS in *Institut. juris publici Lib. 2. Tit. 6. §. 12. pag. m. 47. ex edit. PFEFFINGERI.*

(10) Quis horum electus fuerit, non satis clare patet ex iis, quæ *Limnaus* hac de controversia habet.

(11) Non confundi hæc controversia debet cum alia, ratione Directorii in circulo Franconico, ejus causa inita est conventio inter Episcopum Bambergensem & Marchionem Brandenburgensem ao. 1559, quam exhibet LIMNÆUS in *additam. ad Lib. I. cap. VII. p. m. 47.*

(†) De recentiori electione Ducis Circuli Franconici conferri merentur *Electa Juris publ. Tom. V. pag. 125.*

ipsum officium Ducis admitti debeat, inferre ac concludere maluerunt.

§. 8. Seculares è contra opposuerunt imo Dispositionem der Erklärung des Land-Friedens zu Nürrenberg de ao. 1552. Tit. welchergestalt x. x. ubi persona secularis in specie ad officium Capitanei requiritur, & dum in hujus locum surrogatum Ducis nomen, surrogatum dicunt sapere naturam ejus, in cujus locum surrogatum est. Deinde 2do muneris hujus & dignitatis Ecclesiasticæ incompatibilitatem quam maxime urserunt, uti patet ex relatione legati Brandenburgici apud LIMNÆUM (12) hisce verbis: Weilen es ihrem Standt gang ungemäß sey sowohl in eigener Persohn, als durch einen andern in ihrem Nahmen dieses weltl. Creyß Ampt des Obristen zu führen x. x. Porro 3tio etiam hoc addiderunt argumentum, referente LIMNÆO c. l. daß die Soldaten einem Geistl. wenig folge leisten, und respect geben würden. Denique 4to Constitutionem de ao 1552. per R. 7. de ao. 1555. ratione Ducis Circuli, nondum expresse correctam, adeoque verbis modo dictæ constitutionis stricte insistendum esse, asseruerunt. Quibus 5to, ex confessione legati Wurceburg. §. 6. adducta, demum adjungi meretur reliquorum ferme omnium Circulorum constans praxis & observantia.

§. 9. Verum, si privatum meum de tam illustri controversia ferre judicium fas est, putarem primum & principale exclusivæ sententiæ argumentum potissimum repetendum esse ex illo, quod Do. Candidatus peregrinie illustravit, axiomate: *Ecclesia non sinit sanguinem.* Ratio enim constitutionis memoratæ, cujus observantiam circulorum praxis servat, unde quæso melius aptiusque repeti potest, quam ex modo adducto dogmate: *Ecclesia non sinit sanguinem.* Siquidem ex hoc principio interdicta Clericis est militia & quia militatum abire nequeunt, hinc quoque ipsis ad officium Ducis Circuli, quod militare munus est, non patet aditus. Imo ipsa officio

(12) in additam. ad Lib. I. cap. VII. pag. 50.

ciorum incompatibilitas, quæ §. præced. adducitur, ex alio certo nullo, quam supra allegato principio, originem duxit. Nam illud, si non obstaret, quæ valida & sufficiens ratio exclusionis personarum Ecclesiasticarum dari possit, non invenio. Adducitur quidem sub num. 3 in §. præced. quædam, ast partim non impedit, quin æque ut alii Seculares haud raro faciunt, per suos officiales curam muneris gerere possint, partim levioris brachii est, & ab ipsa experientia destruitur. Cui enim ex Historia Svecana Archi-Episcopi *Johannis Benedicti* (13) & Danica famosissimi Archi-Præfulis *ABSALONIS* (14) exemplum, ut plura aliarum Regionum (15) silentio dimittam, ignotum esse potest, quamque strenue atque egregie sub horum signis pugnarunt milites. Redeunt hinc omnia, quæ pro exclusivâ sententiâ afferuntur argumenta, ad hoc dogma: *Ecclesia non sinit sanguinem.* §. 10.

(13) vid. *LOCCENIUS in hist. Svecan. lib. 5. ad ann. 1457. pag. m. 149. MESSENIUS in Scand. Illustr. Tom. 4. p. 14. Ericus OLAI in Hist. Svec. Goth. Lib. 7. pag. m. 52. SPEGEL in hist. Ecclesiast. Svec. P. 2. pag. 114. PAULINUS in historia Arctoa p. 154. In hunc quoque sensum venit Episcopus Lincop. CATILLUS, de quo refert LOCCENIUS c. l. p. 151. „Catillus exercitum cogit, ejusque ductorem ad exemplum avunculi sui „agens, & voto se obligans, Holmiatn adoritur, obsidet, capit. Conf. PAULINUS in Hist. Arctoa, p. 156.*

(14) Recte scribit *PONTOPPIDANUS in Vita hujus Archi-Episcopi*, quæ legitur P. 2. der Dänischen Bibliothec, pag. 13. Die Heldenmüthige Tapferkeit übertraff zwar nicht seine übrige Tugenden, doch hatte diese in jedermanns Augen den allergrößten eclat, und machte, daß Er als ein Achilles seiner Zeit in ganz Europa berühmt war. Saxo berichtet, daß einige Dänemærcker aus Constantinopel, wo sie als Kayserl. Leib Gardes gedienet, bey ihrer Heimkunft erzehlet hätten, wie sie in Orient das erschollene Gerücht dieses tapffern Mannes gehöret hätten. Viele kleinere rencontres nicht zu rechnen, hat er zwanzig mahl die Dänische Flotte gegen der Wendischen angeführet, und allezeit den Sieg davon getragen. re. conf. *SAXO-GRAMMAT. Hist. Dan. Lib. XVI. pag. m. 378. & passim. KRANTZIUS in Vandalia Lib. 5. cap. 27. pag. 119. & passim. Schwedische Bibliothec. Tom. 3.*

(15) Sic e. g. refert *Lambertus SCHAFNABURG. ad ann. 982. apud PISTORIUM Tom. I. Scriptor Rerum German. pag. m. 157. in quo prælio „occisus est Henricus Augustensis Ecclesiæ Episcopus, cum aliis plurimis Episcopis. Alia exempla passim prostant.*

B

§. 10. Hæcenus itaque occasione hujus dogmatis duo exempla, quibus satis evictum puto, quantum valeant principia Juris pontificii in controversiis publicis principum Imperii decidendis, formandisque ipsorum juribus. Tertium adhuc, intuitu officii cujusdam civilis, coronidis loco addam. Cum enim anno 1712. in aula Cæsarea consilia agerentur, de Abbate Campidonensi præside in Judicio Aulico constituendo, inter alias objectiones & hoc dubium motum fuit, quod vel ideo hac provincia exornari non possit, quoniam in Judicio Cæsareo Aulico etiam causæ cognoscerentur Criminales. Provocatur hac ratione haud obscure ad nostrum dogma: *Ecclesia non sinit sanguinem*, hujusve ob auctoritatem ac vim, plane inhabilem ad subeundum Illustrissimi præsidis in Judicio Cæsareo Aulico officium, judicavit Abbatem Campidonens. Auctor Consilii apud LÜNIGIUM. (16)

§. 10. Plura quidem pro roboranda thesi §. I. adducta in medium produci possent, modo instituti ratio id permetteret. Verum ad id nunc progrediendum, quod principale caput præsentis negotii constituit. En igitur B. L. vitæ curriculum Nobilissimi atque Doctissimi Dn. Candidati mei, prout illud propriis verbis conceptum mihi tradidit.

Megapolis est terra, qua me anno 1710. die 3. Decembr. genuit, eaque me aluit prima. Parentem observavi ac colui JOHANNEM CHRISTOPHORUM ÆMINGA, nobili Burgundorum genere ortum, Pastorem quondam Mollena fidelissimum, pie jam defunctum. Quo anno 1721. e vivis decedente, omnis fere spes decidisse videbatur: Verum, qua Dei est gratia, superstes erat, quam adhuc veneror, mater dulcissima, CATHARINA MARGARETHA VOSSEN. Hac omnem curam in educationem filiorum, premature patre orbatorum, intendit, & nos præceptorum privatorum informationi, qua jam ab ineunte ætate gavisi eramus, per nonnullos
adhus

(16) In Consil. status. Tom. 2. pag. 1702.

adhuc annos committere perrexit, usque dum anno 1723. me
Gustroviam duxit, ad frequentandum, quod ibi floret, Gy-
mnasium, Rectore tunc Domino M. SIBETH, jam Theol. Doct.
& Pastore Gedanensium vigilantissimo, qui me examinatum in-
troduxit. Potissimum ibidem usus sum informatione DN.
SANDOVII, initio Sub-Rectoris in secunda, & postea Con-
Rectoris in prima classe. Hujus viri doctissimi fidem atque ope-
ram, quam publice & privatim in me formando instruendoque
posuit, grata mente, dum vivo, recolam. Præterea ibi priva-
tissime usus sum institutione M. DÜRFELD, Pastoris jam Ho-
bensprentzensis, in tradendis præceptis, quæ ad genus lin-
guæ latinæ imbibendum faciunt. In primam translocatus clas-
sem M. RICHTERI, Gymnasti Rectoris meritisimi erudita
informationi etiam multum debeo, quo dirigente CAROLI
LEOPOLDI, Ducis regnantis Mecklenburgici, Principis ac
Domini mei longe cl. mentisimi, natalia anno 1728. die 26. Nov.
solenni oratione celebravi, explicans verba initialia tituli Prin-
cipum: *Ben Göttes Gnaden*. Cum tandem positis doctri-
næ fundamentis, vitam academicam tenderem, studiorum meo-
rum ratio illam in hac bonarum literarum atque artium sede
inchoare postulavit, ubi & anno 1729. mense Aprili in nume-
rum studiosorum receptus sum, Magnifico Dn. Rectore D. Rus-
meicro, S.S. Theol. D. & Profess. nec non Pastore Mariano, jam vero
Superintendente Generali per Pomeraniam & Rugiam, rursusque
sceptra Academica tenente. Initio in hac alma Gryphica Juris Nat.
atq; Doctrinæ moralis præcepta tradidit Dn. Professor WESTPHAL,
cujus viri celeberrimi eruditionem atque operam & in historicis
expertus sum. Logicam mihi prelegit Dn. Mag. MATZ, jam
Pastor Kisoviensis dignissimus. Scientiam Matheseos acceptam
fero Domino GEBHARDI, Magistro tunc temporis nostro ce-
leber-

leberrimo, nunc Theol. Doct. & Sundersium Past. meritissimo, Collegiis etiam Theologicis B. Superintendentis Generalis Alb. Joach. a KRAKEVITZ, tanquam studiorum meorum moderatoris, cujus cineres grata adhuc mente veneror, interfui. Collegium Physicum experimentale Dn. D. LEMBKENII, fautoris mei plurimum venerandi, frequentavi, quod postea ob insignem utilitatem atque fructum iterata vice audiui. In Philosophicis etiam duce Mag. STENTZLERO, jam Theol. Doct. & Prof. Phil. ord. usus sum: Hujus viri doctissimi collegio disputatorio privato, & respondendo & opponendo interfui. Hoc loco, nec oratio latina silentio est pratercunda, quam occasione Jubilæi Evangelici memoria AUGUSTANÆ CONFESSIO-
NIS dicati, habui, in qua adversus Godofredum Arnoldum vindicavi gloriam sacrorum instauratorum LUTHERO, minime autem ZWINGLIO. Anno tandem 1733. non levia momenta jurisprudentiæ me dare suadebant. Primum institutiones juris civilis apud B. Dominum HELWIGIUM, Prof. Jur. & Consistorii nostri Directorem audiui, nec non ejusdem prælectiones ad Jus feudale & criminale. Ex collegiis Viri famigeratissimi Dn. D. NETTELBLADT, Promotoris mei maxime colendi, illa elegi, in quibus Institutiones Justin., Juris Nat. ut & publici Romano Germanici elementa solidissime explicabat. Denique ex Dni. BALTHASARIS J. U. D. & Prof. celeb. prælectionibus privatis ad universas Jurisprudentiæ partes, illis, quas ad Instituta & Pandectas instituit, interfui, ex quibus maximos percepi fructus, quos familiares atque erudiri Excellentissimi Viri sermones, examina, & disputationes plurimum augebant. Præterea linguas exoticas, gallicam nempe & italicam addidici, nec minus exercitiis corporis operam dedi.

Tandem

Tandem & fama Jurisprudentia Hala Magd. florentis me
anno 1736. illuc alliciebat, ea mente, ut telam, quam exorsus
eram, pertexerem. Ibi prater collegia Juridica, statim com-
memoranda, adhuc Logicam & Metaphysicam docente Dn. M.
BAUMGARTEN, tum Professore extraord. Jus nat. prelegen-
te B. Dn. OTTONE, Prof. extraord. audivi, & Astrogno-
siam à Dn. Prof. LANGIO didici. Excellentissimo HEINEC-
CIO usus sum duce in addiscendo Jure Germanico, cujus Insti-
tutionum, & Pandectarum collegia etiam frequentavi: Eidem
& debeo, quicquid ex antiquitatibus Romanis memoria tenet.
In Jure feudali & publico inclytum Dn. a LUDEWIG & Dn.
J. G. WOLFFIUM Praeceptores habui. Jus Canonicum me pri-
mum docuit Dn. Prof. CARRACH, quo Praeside per seme-
stre spatium publice sex vicibus theses ex Pandectis desumptas,
& typis impressas, respondens defendi; ceteris huic exercitio
disputatorio dicatis singulis Saturni diebus, opponentis vices
subii. Ad praxin me formavit Dn. D. KNORRE in collegio
practico elaboratorio, nec minus Ill. Dn. BOEHMERUS in
collegio privatisimo, ad relationes ex actis rite formandas
directo, cujus collegia Pandectarum, Juris Canonici & cambia-
lis etiam frequentavi. Redeunti mihi anno 1738. animus erat
praxi incumbere & praesitis praestandis docendo, jura praeser-
tim, qua indefesso addidici studio, studiosa hujus academia ju-
ventuti communicare. Cum vero inopinata mihi offerretur oc-
casio Pro-Principis nostri Illustrisissimi, Domini mei gratiosissi-
mi, filium juniorem JOHANNEM AUGUSTUM, comitem
DE MEYERFELD, ad comitia Suecica, & post ad acade-
mias comitari, & studia ipsius dirigere, illam arripere nullus
dubitavi. Hac Occasione sueciam vidi, & status publici
atque literarii hujus regni notitiam acquisivi, duos annos par-

tim Holmiae, partim Upsalia, partim in itinere commoratus. Ante annum in Pomeraniam reversus, Gryphia, eandem quam suscepi spartam, apud Comitem meum suavissimum tuor, quamque suscepisse me nunquam pigebit, ob praestantissimam animi ipsius indolem; Siquidem & illustrissimi Parentes per hocce triennium adeo clementissimi mihi fuerunt, ut gratiam, qua Domus haec illustrissima, quam Deus diutissime tectam & incolumem florere jubeat, me prosecuta est, & adhuc prosequitur, nunquam satis predicare, nec mereri valeam, licet nihil, quantum quidem in me est, omissurus sim, quo me illa dignum reddam. Quod maxime pietate & zelo in Comitem, fidei meae commissum, tantis parentibus dignissimum filium, qui & cordi mihi est, pro ipsius incremento, assequi annitar.

Ita modeste vitae studiorumque curriculum suum, per egregie hactenus peractum, commemorat Dn. Candidatus. Supplementi instar quidem plurima in ejus laudem atque commendationem, absque adulationis vitio, cumulare possem. Quoniam vero, qui propria corruscat virtute, adsciticio colore non indiget; praetereaque modestia Dn. Candidati condignas & optime promeritis non patitur laudes, hinc in iis recensendis non liberalis ero. Ut quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. Ex eo enim, quod *Illustrissimus & Magnificentissimus Academiae nostrae Cancellarius*, curam dulcissimi pignoris plenariam ipsi commiserit, eum, praeter aliis, multivariis & peregregiis virtutum ac scientiarum praerogativis exornatum esse, omnibus abunde patescere, mihi habeo persvasissimum. Hoc tamen, quod & praesens scripturae genus, & rei veritas postulat, silentio premere nequeo, nimirum Dn. Candidatum, morum suavitate & elegantia, ingenii felicitate, acumine Judicii, exquisita omnes tam Civilis, quam Canonici, feudalis & publici, Criminalis aut Naturalis, gentiumque juris, ut & elegantiarum literarum omnium Eruditione & solida doctrina, inque
resol-

resolvendis intricatissimis dubiis promptitudine, præprimis vero singulari humanitate & complacendi studio omnibus bonis se amabilem & commendabilem reddidisse. In utroque examine stetit peregrine, omnesque quæstiones, vel ex ultima antiquitate & obsoleta Romanorum prudentia formulari vel moderna praxi, practicantiumque, uti vocari solent, arcanis, vel quocunque demum Juris parte desumtas, absque hæsi tatione, maxima cum promptitudine enodavit. Lectiones quas vocant cursorias, ad *L. I. C. de Raptu Virg.* in frequentissimo auditorio, cum plausu & omnium approbatione, recitavit. Jam ultimum, quod superest, præstare, & Dissertationem suam inauguralem de *Ecclesia sanguinem non sciente*, materia non vulgari, vel ex trivio collecta, sed exquisita & hætenus nondum speciali commentatione illustrata, proprio Marte elaboratam, publice Eruditorum disquisitioni submittere, paratus est. Quoniam vero Vos, *Magnifice Domine Academ. Rector, Generos. Regii Dicastrerii Director, utriusque illustris Corporis Proceres, Urbis & Ministerii Patres, Illust. Generos. & Nobiliss. Cives, omnesque qui his studiis bene cupiunt*, rei laudabiliter peractæ arbitros & testes, me interprete, sibi expetit; hinc omnes atque singulos bonarum artium & literarum fautores eo, quo decet, cultu & affectu, ut hunc actum die XVIII. Aprilis c. a. honorifica sua præsentia illustriorem reddere velint, Facultatis Juridicæ, meo & Dn. Candidati mei nomine, oro, e grata quævis officia studiaque mutuo polliceor.

P. P.

SUB SIGILLO FACULTATIS JURIDICÆ

DIE XVI. APRILIS

A. O. R. MDCCXLI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


SUB DONLO ERULTATIS JURISICE
DIE XNA APRILIS
A. O. R. MDCCXII





Tandem & fama Jurisprudentia Hal
anno 1736. illuc alliciebat, ea mente, ut te
eram, pertexerem. Ibi prater collegia Ju
memoranda, adhuc Logicam & Metaphysi
BAUMGARTEN, tum Professore extraor
te B. Dn. OTTONE, Prof. extraord. a
siam à Dn. Prof. LANGIO didici. Excelle
CIO usus sum duce in addiscendo Jure Ger
tutionum, & Pandectarum collegia etiam
& debeo, quicquid ex antiquitatibus Rom
In Jure feudali & publico inlytum Dn. a
J. G. WOLFFIUM Praeceptores habui. Ju
mum docuit Dn. Prof. CARRACH, qu
stre spatium publice sex vicibus theses ex P
& typis impressas, respondens defendi; o
disputatorio dicatis singulis Saturni diebu
subii. Ad praxin me formavit Dn. D. K
practico elaboratorio, nec minus Ill. Dn.
collegio privatisimo, ad relationes ex ad
directo, cujus collegia Pandectarum, Juris
lis etiam frequentavi. Redeunti mihi an
praxi incumbere & prestitis prestandis do
tim, que indefesso addidici studio, studiosa
ventuti communicare. Cum vero inopinat
caso Pro-Principis nostri Illustrisissimi, Dom
mi, filium juniorem JOHANNEM AUG
DE MEYERFELD, ad comitia Suecica
mias comitari, & studia ipsius dirigere, i
dubitavi. Hac Occasione sueciam vidi,
atque literarii bujus regni notitiam acquis

B 3



antis me
exorsus
in com-
Dn. M.
alegen-
Brogn-
INEG-
s Insti-
Eidem
tenet.
& Dn.
me pri-
r seme-
sumtas,
exercitio
is vices
collegio
RUS in
mandas
ambia-
us erat
praser-
mix ju-
etur oc-
tiosissi-
omitem
acade-
nullus
publici
os par-
tim